

Vg
5471



26
G.R.191.
**IMAGINEM INGENII MORVMQVE
LVTHERI IN EMENDATIONE
SACRORVM CONSPICVAM**

EXPRIMIT

AD LOCVM

INTER

ASCRIPTOS ORDINI PHILOSOPHORVM

RITE TVENDVM

P R A E S E S

**CHRISTIANVS FRIDERICVS
FRANCKIVS**

A. M. L.

DEFENDENTE

CAROLO GVILIELMO FERBERO

ZVICKAVIENSI

I. V. S.

AD D. 20 MART. MDCCCLXXXIX.

VITEMBERGAE

TYPIS IO. TZCHIDRICHI.

卷之三

2023AII9



CABOLO, GALLERMO TERRERO

MIXXEDUM 3.814 25-0 6.

oibit annis a cypriano papa, iustus solidabat
abacis et nullus agnitus. Boc inscribitur in monachis
concoem ymiliaq; §. 1. de vestibus monachis

Non parui mihi videtur momenti error, quo plurimi homines in amplectenda veritate minus eam ipsam, quam conditionem eorum, qui illi eruendae operam nauant, spectant, ita, ut ex hac, vel infima, vel mediocris, vel summa, et sorte, vel felici, vel infelici, assensus, quem ei praebent, quod verum ab his prolatum ponitur, pendeat. Ad quam sententiam statim accederet quisque, qui historiae narus ecclesiasticae Christianae in mentem sibi reuocat, in scriptis eorum, qui a religione in ciuitate dominante recesserint, multa vtilia et vera reperiri, quae tamen, ab haereticis, sic dictis, edita, a plurimis noxia, nec cum veritate conuenientia fuerint existimata. Damnum, quod ex hac cogitandi faciendique ratione oritur, tunc perniciosius putatur, si, qui res gestas literis mandant, praeiudicatae illi sententiae fauent, quae eos impedit, quominus sincere narrent, siveque posteritatem ad iustum ferendum iudicium idoneam reddant. Vix tale vitium historico intermediae aetatis, nedium nostrae, ignosci potest, in primis, si alias fide habetur dignissimus. Nullus sane erit, qui, reputata secum inscriptione dissertationis huius, me de SCHMIDTIO, Livio historiae Germanorum, loqui non animaduertat. Quo maioribus enim ad historiam scribendam floret dotibus, quo

laudabilius censetur, eum plerumque a partium studio alienissimum iudicari posse: eo magis, illum in referenda emendatione ecclesiae, ab LVTHERO praestita, praeconcepitas fouisse opiniones, est dolendum. Sicuti vero fieri solet, vt veritas, quam inimici eius aggrediuntur, vietrix euadat: ita illius exprobrationes honorem, LVTHERO debitum, auxerunt, non minuerunt. Multi enim, quamuis vario Marte, LVTHERVM defendere studuerunt ^{a)}. Qui quamquam hac in re egregiam collocarunt operam: tamen necessaria scitu ab iis omissa afferre, et in ordinem redacta, iudicio lectoris permittere mihi liceat. Qui mihi de ingenio moribusque LVTHERI differenti non denegabit fidem, si me, neque intemperantibus huius viri laudatoribus, labes omnes in virtutes mutantibus, neque iniustis obtreccatoribus, eius bona in vitia vertentibus, annumerandum videt. Nam si partem quintam libri SCHMIDTI, et primam nouae eius Germanorum historiae, quae res sub Imperatore Carolo V. gestas continent, diligenter legimus, eum partim falsa tradidisse, partim non silenda tacuisse, reperimus. In illis philosophi quidem, et historici

^{a)} Luther und die Reformation aus MICH. IGNAZ SCHMIDTS Geschichte der Deutschen mit Anmerkungen begleiter. Ehrenrettung der Lutherischen Reformation gegen zwey Kapitel in des K. K. Hofraths Herrn I. M. SCHMIDTS Geschichte der Deutschen u. s. w. von KARL LEONH. REINHOLD. Allgemeine deutsche Bibliothek, des zwey und siebenzigsten Bandes erstes Stück von S. 219-252.

rici personam induit, sed ambas partes male egit. Ne vero, nos, Lutheri commotos auctoritate, ita statuere, suspicionem moueamus, iudicium nostrum ex libro ipso probemus, necesse ponitur. Sic odium in Papam LVTHERO a primordio negotii p. m. 53. tribuitur, a quo liberum statim eum iudicabimus, si attendimus ad epistolas eius, ad Leonem X. scriptas, et ad eiusdem prouocationem a male informato pontifice ad melius informandum, ut plura non adiiciam. Auget vir celebratissimus accusationem, dum illi studii nouas moliendi res crimen obicit. Cui eum non indulsisse, docet ERASMVS^{b)}, impudentiam potius Monachorum, indulgentias praedicantium, eum incitasse confirmans. In ea, quae ingenio SCHMIDTI debemus nimis frugifero, referenda esse verba p. 186. de tumultu rusticorum, nemo negabit. Quae trita calumnia ab hostibus LVTHERI sexcenties iam est repetita, et ab eius amicis saepius refutata. Nam, quis amplius huic criminationi, LVTHERVM motibus ab hominibus agrestibus excitatis ansam praebuisse, lectis editis hac occasione ab eo libris ^{c)} fidem habebit? Sed procluor

A 3

illum

^{b)} Vid. ERASMI epistolam ad Eleforem Moguntinum, quae apud ipsum SCHMIDTIVM pag. 77 et 78. occurrit.

^{c)} LVTHERS Ermahnung zum Frieden auf die zwölf Artikel der Bauernschaft in Schwaben, Hall, T. XVI. p. 58. D. MART. LVTHERS Schrift wider die räuberische und mörderische Bauern, Hall, T. XVI. p. 91.

illum defendendi prouincia iudicatur. Vllum enim habere nequit pretium argumentatio SCHMIDTII, qua omnia, e quibus e longinquo damnum aliquod oritur, fugienda existimat. Quae si valeret, au^tor religionis Christianae, quae tot ac tam crudelibus vltimorum Christianorum etiam mediate (liceat mihi hanc vocem, qua Vir Illustris vsus est, retinere) occasionem dedit vexationibus, esset notandus. Nec feliciores progressus fecisse mihi videtur idem p. 64. in enarrandis caussis, quibus commotus ERASMVS ab assensu, conatui LUTHERI religionem, multis maculis corruptam, purgandi praebendo, se abstinuerit. Se iusto hac in re timidiorem esse, quod omisit SCHMIDTIVS, ipse fassus est ERASMVS^{d)}. Ad quod accedit nimia erga principes, beneficia sibi tribuentes annua, indulgentia. Cui porro a partium studio alieno non displicebit ratio scribendi, cuius dulcedine caput p. 224. SCHMIDTIVS cupiditatem Protestantium, Confessionem Augustanam publice praelegendi, ludificatur. Profecto, ne hominem quidem vrbananum, nedum historicum, decet, rem seriam, eamque grauissimi momenti, risui

^{d)} Secutus sum hic ROBERTSONS Geschichte Karls des Vten, qui affert Epist. ERASMI in fortin's Life of Erasmus Vol. I. 273. wo ERASMVS selbst sagt: Es hat nicht jedermann den Mut, der ein M^{är}tirer zu werden erfordert wird —. H^atte aber auch Luther auf die unstraflichste Weise geschrieben, so h^atte ich doch eben keine Neigung f^{ür} die Wahrheit zu sterben.

risui exponere. Sed ex oratione ^{e)} Gregorii Pontani, quam ad Carolum Vtum nomine asseclarum habuit LVTHERI, vera ratio, qua impulsi Protestantes a Caesare petierunt, ut coram conuentu ipsis suaे doctrinae compendium recitandi potestatem faceret, satis apparet. Itaque cum SCHMIDTIVM non semper Philosophum bene egisse, demonstrauerimus, vt quoque, eum interdum officio boni historici non satisfacere, probemus, restat. Quis enim lecta p. 58. p. Vtae, Papam, epistola demum Maximiliani Imperatoris, quae illi d. 5. Aug. 1518. redditia est, excitatum, LVTHERVm Romam vocasse, non censet, cum, eum iam d. 8. Aug. edictum citationis suaе ad Spalatinum misisse, constat ^{f)}. Corruptum porro est p. 64. dogma

LV-

- e) Protestantium verba huc pertinentia haec erant: Cum certo sciant, ac re ipsa in dies experiantur, multa de fidei suaे articulis ac ceremoniis, in Ecclesiis suis receptis ac visitatis, secus, quam res habeat, ad Caesaream Maiestatem, Electores ac Principes delata esse, ac si non vereantur, noua dogmata, et in sacris literis parum fundata, haereses, schismata, et alias id genus monstruosas et absurdas opiniones, in sacri Imperii Germanica natione excitare, in vulgus propagere et disseminare, subiectissime se petere, ac mirum in modum rogare Caesaream Maiestatem, omnesque Electores ac Principes, vt, quia haec res non modo ad nominis sui auctoritatem et famam, fortunas omnes, sanguinem et vitam, verum etiam ad animae dispendium, aut salutem aeternam, spectet pertineatque, sine molestia aliqua ac taedio audiant et percipiant, quaenam sit summa illius doctrinae, quae

in



LVTHERI ita informatum: Opera iustorum esse mortalia (peccata) nisi pro Dei timore ab ipsissimis iustis ut mortalia timeantur. Nam quod LVTHERVS de operibus iustorum iudicat, num licet ad omnia humana opera transferre? E principiis illius melius ferri iudicium potest, quibus etiam rectas proborum actiones peccatorum numero habuit, quia semper quid ad omnem mensuram, quam lex requirit, deest. Nolo plura, in quibus alia LVTHERI praecepta depravantur, addere. Nec consentire possum cum SCHMIDTIO p. 80. epistolae LVTHERI ad Pontificem d. 6. Apr. eiusque diplomati in LVTHERVM 15. Iul. adscriptum, existimante, cum priori, literae MILTITII illa occasione scriptae, MAIMBVRGIVS et SARPIVS posteriori, contrarium docent^{g)}. Ille etiam p. 85. conuentum Wormatiensem communis laborasse Theologiae ignorantia, ait. Quamuis, maximam Cleri partem a literis diligenter tractandis illa aetate abhorruisse, concedere debeam: tamen inter tot Archiepiscopos, Episcopos,

Lega-

in Ducis Electoris Saxoniae territorio et Dioecesi, aliorumque in religione coniunctorum Sociorum regionibus sonet ac populo proponatur. Vid. SLEIDAN. Comm. de statu relig. et reipubl. l. VII. p. m. 109.

f) SECKENDORF Comm. de Lütheranismo, l. I. sect. 16. §. 33.

g) SECKENDORF l. c. I. sect. 27. §. 67. et sect. 29. P. SARPI Histor. Conc. Trident. l. I. p. 17.

Légatos et Praelatos, propter religionem quoque Wormatiam missos, nullum fuisse Theologiae, ne scholasticae quidem, peritum, credi nequit, Quo saepius auctor ille historiae Germanorum Pallavicinum in narrandis rebus gestis sequitur, ita, ut non eadem tantum, quae hic adhibuerat, verba retineat, sed etiam falsa iis, quae hic profert, addat: eo magis miror, cur p. 92. Pallavicinum, veritatem hic sectantem, reliquerit, quippe cui, proditum editi Caesarei, in LVTHERV M promulgati, arcanum, debemus, quod licet 26. Maii datum, ad diem eius mensis octauum fuisse retractum ^{b)}. Etiam in rebus magni pretii non semper Vir Illustris magnitudinem boni historici expleuit, ut p. 378. e narratione apparet, quomodo Georgio Duci Henricus succedere potuerit. Sufficiat hic laudare SECKENDORFIVM, qui nos quoque, diem mortis Georgii Ducis non fuisse 24. Apr., sed 17. huius mensis docet ⁱ⁾. Ille quoque p. 228. part. Vtae errauit. Caesar enim praeter Fridericum Palatinum, Hoierum Mansfeldensem et Helfensteinum d. 9. Iul. ad Protestan-

tes

^{b)} PALLAVICINI Hist. Conc. Trident. l. I. c. 28. p. m. 45.

ⁱ⁾ l. III. sect. 19. §. 71. Amiserat is ante biennium mense Ian. 1517. filium primogenitum Iohannem, cui Elisabetha Hassiacca matrimonio, sed sterili, iuncta fuerat. Supererat alter Fridericus — Cuius nuptiae cum Agneta, Ernesti Comitis Mansfeldensis filia, d. 27. Ian. 1539. celebratae sunt — Frustra tamen fuerunt illa omnia. Vix enim elapsa mense d. 26 Febr. obiit Fridericus — Errat COCHLAEVs in die mortis, qui non est d. XX. sed XVII. Apr.

tes allegauit, quaerentes, num acquiescere velint in articulis Confessionis, an plures proponere. In quorum responsione proponenda non curam adhibuit SCHMIDTIVS p. 230. necessaria quaedam scitu omittens ^{k)}. Qui p. 243. praeterire non plane debuerat nomina Principum, qui foederis Smalcaldici formulae subscripti-
runt, quippe Iohannes, Elector Saxonie, Philippus Hassiae Landgravius, Wolfgangus, Princeps Anhaltinus, Gebhardus, et Albertus, Comites Mansfeldenses, et hic etiam loco Philippi Dux Brunsuicensis. Perperam quoque narrauit captiuitatem ministri Henrici Brunsuicensis, qui STEPH. SCHMIDTIVS vocabatur, seque Electori Brandenburgico seruire venditabat ^{l)}. Saepissime Virum Celebratissimum, et annum, et diem, quo res memoria digna facta sit, non afferre, tacebo. Vnum tantum, ne pluribus fastidium Lectori noueam, addere mihi liceat. Deest nempe p. 86. p. Vtae dies, quo LUTHERVS e vita discessit, qui erat 17. Febr. 1546. Via igitur ad dissertationem ipsam incipientem satis munita, me, non inuidia duorum, nomini SCHMIDTIANO, latissime patenti, officere voluisse, si probarem, Lectoris diffidetrem prudentiae.

§. 2.

^{k)} Si vero ex altera parte de sua fide aliquid professari, et abusus forte illos sua sententia approbaturi sint, tunc se ex verbo Dei iudicium suum de illis non esse celaturos.

^{l)} SECKEND. I. III. sect. 18. §. 69.

§. 2.

Cum duae pateant viae, quas ingredi debet, qui alios ad aliquid vel accipiendum, vel tenendum, vel abrogandum incitare cupit, nempe ut eos cogat, vel iis persuadeat, anquirere nos oportet, utram LVTHERVS ad cultum religiosum, opinionibus praeoccupatis, quae longa annorum serie altas egerant radices, fundatum, atque artibus callidis, viribusque magnis, defensum, mutandum, eiusque vice plane illi contrarium, et ad metam diversam spectantem, restituendum, calcauerit. Saeculi decimi sexti, quod, praeter alias res memoria dignas, emendationem quoque ecclesiae peperit, historia, eum non armis principum sustentatum, opus illud grauissimum suscepisse docet. Sed veritatis, quacum literarum studium ita coniunctum putatur, ut ab hac separari nequeat, debemus amori, quae LVTHERVS praestitit. Nam cum dogmata ecclesiae Catholicae artefissime inter se cohaereant, alteraque pars artificiosi huius aedificii altera nitatur, quid mirum? si huius erroris inuestigatio, curiosum LVTHERI animum ad illum inueniendum adduxit. Hominum vero doctorum assensum sibi comparare non poterat, nisi doctrinam suam diligentia, praesertim in rebus, Theologo scitu necessariis, augeret. Quem suas dotes ^{m)}, antequam

B 2 in

^{m)} Ipsi inimici LVTHERI ei ingenium non denegarunt. Sicut SECKEND. l. c. I. se^tt. 15. narrat, Leo X. hoc tulit iudicium: Frater Martinus pulcherrimo est ingenio, PALLAVICINVS H. C.

in monasterium Patrum Augustinianorum Erfordiae sese abderet, et, cum in eo versaretur, excoluisse, ipsi eius ini-mici profitentur, quas minime postea neglexisse, e libris ab eo editis, satis elucet. In quibus haud vltimum tenuit locum eloquentia, quam ingenium, e viuida imaginandi facultate ortum, adiuuabat, et quae tanta erat, vt omnium fere animos, quocunque vellet, posset flectere. Cuius vi alios sibi conciliare atque ad amplectendam veritatem allicere, timidos corroborare, superbos deprimere, inimicos frangere, poterat. Cum accederet vocis iucunditas, effecit, vt omnes, etiam principes summi, ei, quod traderet, atten-tas praeberent aures, neque se antiquandis abusibus ecclesiasiticis opponerent. Nunquam sane tam felices progres-sus fecisset, nisi, aduersarios scripturam sacram male inter-pretari, philosophia perperam vti, historiam ecclesiasiticam corrumperem, doctoribus ecclesiae primae, et interpreta-tioni vulgatae, nimiam auctoritatem tribuere, e fontibus ipsis probasset. In quorum numero multos fuisse, quos facile refutare posset, concedimus. Non omnes tam im-pudentes erant, quam Tezelius, Monachus Dominicanus, neque tam ignari, quam Sylvester Prierias, siue de Prio,

etiam

H. C. T. r. c. IV. §. 2. ait: Acuto viuidoque fuit LUTHERVS ingenio, propensus ad studia literarum, et in iis corpore ac mente indefessus. Cum inops literaturae non esset, longe ditissimus videbatur; quippe cui in lingua, tanquam in numerato suo, omnia in promptu erant; eiusque linguae dexteritate, laterum etiam robore pollutis, eorum semper plausum sibi conciliabat, qui sensu magis, quam mente de disceptante iudicium ferunt.

etiam Monachus Dominicanus, et Romae Magister Palatii,
 Iacobus Hochstratenus, Coloniensis, ordinis Dominicani
 Monachus, et auctor libri de septem Sacramentis, qui vul-
 go Henricus VIII. Angliae Rex, putatur. Sed in eos
 quoque ERASMVS, ZWINGLIUS, OECOLAMPADIVS,
 ECCIVS, quos iam nominare sufficit, sunt referendi.
 Quam disperita hic fuissent arma, si eruditio cum igno-
 rancia, sapientia cum stultitia, assiduitas cum pigritia, cer-
 tasset. Quo excepto commodo, LVTHERVM hostibus resi-
 stere potuisse, etiam alia emolumenta e doctrina eius ad
 eum ipsum redundarunt. Elektor enim Saxoniae, Fri-
 dericus Sapiens, Pater Academiae Wittebergensis, ei suc-
 currere quidem non dubitauit, cuius causa odium Papae,
 minas Caroli Vti, reprehensiones multorum Germaniae
 principum, suscepit, praesertim cum, suam Academiam
 multitudine tunc iuuenum, quos fama attraxit LV THERI,
 florere, cerneret. Retinuit porro doctrina LV THERI
 homines, quominus aduersus eum surgerent, veriti, ne
 ab ipso refutati, famae suae labem inurerent, vt Fran-
 ciscani Iuterbokienes, Academia Erfordiensis, et alii,
 quid? quod multos mouit, vt in eius partes irent. Parum
 profecisset vir, de ecclesia immortaliter meritus, in certa-
 minibus de primatu Papae, quem, tanquam fundamen-
 tum omnium doctrinarum, quas fouent Pontificii, ille
 omni modo labefactare studuit, nisi ex historia ecclesiastica,
 commentum de Petro, primo Pontifice Romano, de Papa,
 erroribus nunquam obnoxio, de imperio a Graecis ad

base

B 3

Roma-

Romanos eius beneficio translato, aliaque falsa, quibus caput ecclesiae Romanae ad stabiendam suam auctoritatem vti solebat, demonstrasset. Fruetus, quos eruditioni eius, qui religionem a multis vitiis, quibus laborabat, purgauit, cum iudicio acuto coniunctae, debemus, praecipuos, exponere mihi liceat. Optime, quis negabit, eum Christianos sibi deuinxiisse, conuertendis in linguam popularem monumentis diuinis, quo labore peracto grauissimo, affeclarum suorum plausum valde cumulauit, qui nunc, LVTHERI doctrinas, non ex ingenio eius prolatas, sed in scriptura sacra fundatas, viderent, qui ex ipsis fontibus haurire, religionem diligentius probare, possent, neque, vt antea, in rebus ad salutem pertinentibus, coecam habere aliis fidem deberent. Quae literarum sacramrum interpretatio optatum consecuta est finem propterea, quod a viro, qui praecepta explicandi, et sciebat, et adhibebat, erat incepta et limata. Non minuit huius interpretationis pretium, quod quam plurima indicia curae et sinceritatis, quas LVTHERVIS in ea perficienda virtutes non neglexerit, continet. Volumus nunc iudicium nostrum duobus tantum illustrare exemplis. Ante LVTHERI tempora fere vbique erat sententia de duplice scripturae sacrae sensu comprobata, nempe literali, et allegorico. Hunc, tanquam multarum nugarum genitorem, plane repudiauit, illumque nunquam, si caetera sint paria, deserendum, LVTHERVIS censuit. Cuius sententiae vis, e controversia de corpore et sanguine Christi cum

pane

pane et vino in sacra coena apparet. CAROLOSTADIVS,
 cuius vita vnicuique, historiae LVTHERANAЕ non pla-
 ne imperito, satis nota erit, ad certamen ⁿ⁾ LVTHERVM
 prouocauit, et verba: edite ac bibite, a sequentibus se-
 paranda probare voluit. Quam disiunctionem ex scri-
 ptis LVTHERI ipsis, in quibus de loco celeberrimo
 Matth. XVI, 18. differit, corroborare studuit, hocque ar-
 gumentum grauissimum hac in re merito putatur, in pri-
 mis, si caetera spectas leuissima. Hic cur non consenserit
 cum CAROLOSTADIO, vir literalem verborum diuino-
 rum sententiam potius sectans, ex epistola ad Argenti-
 nenses perspicuum ponitur, in qua ait: „Textus Euan-
 gelii nimium apertus est, et potens, qui facile conuelli non
 potest, multo minus verbis, aut glossis, e capite vertiginoso
 conficitis, subuerti.“ Argumenta vero contraria magis
 exposuit in libro singulari, cuius inscriptio haec est:
 „Wider die himmlischen Propheten von den Bildern und
 Sakrament u. s. w. von MART. LVTHER. Quam con-
 trouersiam sacramentariam, quam enarrare ad me nunc
 non pertinet, adhuc, renouatam, atque maiori constan-
 tia ab VLR. ZWINGLIO et Ioh. OECOLAMPADIO
 tractata“

ⁿ⁾ Scripta CAROLOSTADII praecipua sunt: Von dem wider-
 christlichen Misbrauch des Herrn Brodt und Kelch. Ob der
 Glaube und das Sakrament Sünde vergebe und ob das Sakra-
 ment ein Arrabo oder Pfand sey der Sünde Vergebung. Aus-
 legung des XI. Cap. des Briefs Pauli zu den Corinthern von
 des Herrn Abendmahl. Anders CARLSTADT 1524, Ausle-
 gung der Worte Christi: das ist mein Leib!

tractatam fuisse ^{o)}, addam. Eandem dexteritatem in con-
uertendo etiam LVTHERVS seruauit, si locos, doctrinis,
quas amplexus erat, aliisque propterea commendauerat,
repugnantes inuenit. Sic, quamvis scriptorum a Deo
inspiratorum testimonio commotus, LVTHERVS, fidem
ad salutem aeternam consequendam necessariam, neque
meritum, ex operibus humanis ortum, aliquid ad eam
afferre posse, statueret, tamen propterea epistolam Iacobi,
quae contrariae sententiae fauere videtur, in alienam sen-
tentiam non traxit, in Germanicum transferendo. Itaque,
cum omnia in religione Christiana ad scripturam sacram
reduceret, ut nimiam, quae tribueretur doct^roribus eccle-
siae antiquae, frangeret auctoritatem, erat necesse. Neque
tamen omnes, nullo excepto, contempnit. Augustinum
enim tanta veneratione prosecutus est, ut eius opinioni
fere toti de seruo arbitrio assensum p^{rae}beret. Plura ad-
huc, praeter emendandam ecclesiam, LVTHERVS p^{rae}st*tit*,
quae semper grata mente posteritatem recordari oportet.
Antea dignitas Imperatoris Germaniae ita e Pontifice
Romano pendebat, ut nullus, etsi ab Electoribus electus,
nisi ab illo, imposita Romae corona, confirmatus, Impe-
rator haberetur. LVTHERVS vero multum ad abro-
gandum

^{o)} Libri hoc in certamine primi erant: De vera et falsa religione,
HVLDRICI ZWINGLI Commentarius, Tiguri 1525. et
subsidium de Eucharistia 1525. Liber Io. OECOLAMPADII de
genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum, iuxta ve-
rissimos auctores expositione, Basil. 1525.

gandum humilem hunc morem attulit, cui, post Carolum Vrum, nemo se subiecit. Caeteros quoque Europae principes auctoritatem pontificiam, qua legitimi saepe domini regnis suis priuabantur, Clerus potestati ciuili eripiebatur, immunisque declarabatur, ciues ab iureiurando et obsequio, principibus praestando, soluebantur, spernere docuit, sive sedi Apostolicae vulnus, quod sanari nequit, intulit. Constituit porro LVTHERVUS discrimen, inter ecclesiam et curiam Romanam, necessarium. Multis et grauissimis rationibus, vota monastica oraculis diuinis aduersari, per ea peccata haud deleri, paupertatem monachorum esse simulatam, probauit. Reprehendit iure meritoque nimium fere honorem, qui sua aetate, et ante eam, Aristoteli tribuebatur. Vtibantur homines illius acutissimi Philosophi sententiis ad nugas, quas subtiles vocabant quaestiones, proponendas, quibus gloriam vanam sibi comparare quaerebant. Minime LVTHERO, mysticae Theologiae dedito, placere poterat, si praecepta Aristotelis in suggestu sacro explicari, illisque scripturam sacram cedere, vidit, cui amissam, stultitia mortalium, dignitatem reddidit.

§. 3.

Sed exemplum ERASMI, quod antea attuli, satis, solam doctrinam ad purgandam ecclesiam minime sufficere, neque tantum opus, nisi constantia accesserit, magnarum rerum mater, perfici posse, docet. Nullo sane nixus humano auxilio, opus illud grauissimum LVTHERVUS incepit, quod omnes vires eius superare videbatur, no-

C

luitque



luitque, vt aliquis sua caussa malum pateretur, quapropter
 Kal. Sept. an. 1518. Spalatinum in epistola rogat, vt Prin-
 cipem Fridericum impeditat, quominus propositiones
 suas defendat. Dicit enim, velle se offerri et obici omni-
 bus, quicunque contra ipsum vel agere, vel scribere, volue-
 rint: Pergit: Sicut spero faeturum esse, nisi forte id com-
 mode praestare posset, ne vis mihi irrogaretur. Quia,
 si ne hoc poterit, etiam sic volo meum esse periculum to-
 tum. Spero, me pulchre defensurum ea, quae defendenda
 suscepi, inuitis (vt, Christo duce, gloria) omnibus opinio-
 nibus Thomistarum. Tam constans eius erat animus,
 cum Augustam, vt doctrinae suae Cajetano rationem red-
 deret, vocaretur. Quo colloquio exacto, cum hic ob irri-
 tam, LVTHERVM, ne amplius, vnde Papa detrimentum
 caperet, doceret, mouendi, operam iratus, Electorem
 Saxoniae rogasset, vt LVTHERVM potestati suae permit-
 teret, ad minas, Cardinalis epistolae insertas, in literis ad
 principem suum, mentem eandem declarat ^{p)} Cuius ani-
 mi robur valde auxisse felices conatus sui progressus, non
 negamus, quamuis hi eum non tantopere efferrent, vt,
 sicut M V N Z E R V S, perniciose reipublicae res moliretur.

Quanta

^{p)} v. Ep. 29. Nov. 1518. a LVTHERO ad Electorem datam, in
 qua haec occurunt verba: Ne Illustrissimae Dominationi Tuae
 quidquam, meo nomine, mali accidat, ecce regiones Tuas relin-
 quo, iturus, quo misericors Deus voluerit, eius diuinæ volun-
 tati me in omnem permissurus euentum. Nihil enim minus
 sequor, quam vt quisquam mortalium mea caussa, (necnm
 Illustrissima Dominatio Tua) vel in inuidiam vel in periculum
 aliquid adducatur.

Quanta nunc pietas nostra erga virum hunc capiat incre-
menta, si fontem, vnde haec magnitudo hausta fuerit,
perscrutamur, eumque in fiducia in Deum reperi-
mus. In adhortatione enim LVTHERI ad preces contra
Turcas, quae extat Tom. VII. Altenb. fol. 473. ad 481.
haec fundit verba excelsa: „Nostrum solatium, nostra
fiducia, in qua superbimus et gloriamur, nostra securitas,
victoria, laetitia, gaudium, honor et decus ad dextram
Dei omnipotentis sedet, huic ne pilum turbabit Diabolus.“
Dicat fortasse quis, eum tantam animi excellentiam piae-
se tulisse modo, alia sensisse omnia. Cui criminatio-
paucis respondere mihi nunc liceat. LVTHERI enim
vitam diligenter consideranti, fieri non potest, quin variae
occurrent occasiones, quibus ille iis, quae antea laudi ei
duximus, conuenienter egerit. Testis est profectio ad
comitia Wormatiensia. Quamuis enim ei Caesar saluum
conductum, sive fidem publicam, dedisset, tamen nullum,
ab ecclesia Romana secedentem, tunc propterea prorsus
securum iudicari potuisse, Hussii tristissima mors proba-
uit. Eandem sibi fortem vaticinatum fuisse LVTHERVUM,
ex eius sermonibus verisimile existimo. Eius tamen ani-
mum ante periculosisimum hoc iter firmissimum inui-
ctissimumque fuisse, ex eius epistola ad Spalatinum ⁹⁾appa-

C 2 ret,

9) Epp. I. ep. 220. Sorge nicht, daß ich nur eine Sylbe widerrufen werde, da ich sehe, daß sie aus keinem andern Grunde Widerruf verlangen, als weil meine Sätze wider die angenommene Lehre und Gewohnheit der Kirche geschrieben sind. Ich bin entschlos-
fen,

ret, et ex responsione Electori data d. 21. Dec. 1520, cuius
summam nobis SECKENDORE l. i. sect. 37. §. 90. reli-
quit. Quid ad fidem huic firmitati faciundam accommo-
datius, dicto illo memoria dignissimo, quo ab ipso SPA-
LATINO monitus, ne Wormatiam intraret, quae cogita-
uit, expressit: Si tot Diaboli Wormatiae essent, quot in
domibus lateritiae tegulae, se tamen intrepide eo ventu-
rum esse. Intimos quoque animi sensus nudauit coram
Caesare. Ibi cum ex eo quaeretur, num permaneret in
defendenda doctrina, quam libri ab ipso editi continerent,
non recessit ab iis, quae hucusque professus erat, sed for-
titer orationem: Hier stehe ich, ich kann nicht anderst,
Gott helfe mir, finiit. Quae omnia clarissimum chara-
cteris viri, qui me totum in se conuertit, pernoscendo
accendent lumen, meumque iudicium valde tuentur.
Neque parum attulit illa virtus ad opus in integrum resti-
tuendae ecclesiae perficiendum. Quamuis enim multi, et
ante LVTHERVM, et eius aequalium, corruptelas ecclesiae
Romanae bene scirent, tamen timiditate impediti, neque

illam
sen, dem Kaiser zu antworten, dass ich nicht erscheinen werde,
wenn sie blos Widerruf von mir haben wollen, denn widerrufen
könnete ich auch hier, wenn es sonst um nichts weiter zu thun
wäre. Wenn er mich aber hernach auf diese Antwort berufen
wird, um mich tödten zu lassen, so will ich mich erbieten, zu
erscheinen. Denn ich will nicht fliehen, wo Christus will, und
sein Wort in Gefahr lassen, ob ich schon fest überzeugt bin,
dass meine blurgierigen Feinde nicht ruhen werden, bis sie
mich umgebracht haben.

illam emendare conati sunt, neque ab LVTHERI partibus steterunt. Ille vero solam veritatem, spretis omnibus prae-miis, et insidiis vitae, sectans, illud opus maxime necef-sarium felicissimo successu peregit. At LVTHERVIS, vti inimici eius censem, semen multorum malorum et calamitatum sparsit, impediuimusque, quominus Euangelici cum Pontificiis se coniungerent. Quam societatem, teme-raria quorundam afflclarum LVTHERI indulgentia, fieri potuisse, largior. At melius animati probe animaduer-te-runt, sic se iugo minime ferendo rursus subiici, verique iacturam facere, commodis omnibus opinatis anteferendi. Itaque coetu Romano expelli maluerunt, quam coniun-ctionem, tam suspiciosam, renouare.

§. 4.

Venio ad modestiae LVTHERI decus, quod in eo in-ueniri, non eius aduersarii tantum negant, sed etiam quam plurimi eius amicorum, eum acerbitati, veritatis amore abreptum, interdum nimis induluisse, fatentur. Quibus vt assentiatur, facile homini, in historia saeculi decimi sexti parum versato, persuadere potes, praecipue si libris, ab LVTHERO in Papam, Henricum VIII., Georgium Du-cem, Henricum Brunsuicensem, aliosque editis, ad confir-mandam tuam sententiam vteris. Hos enim legenti, non poterit non displicere scribendi ratio, quam erga illos principes adhibet, et quae vrbani-tati tantopere repugnat, vt eam vix homines e plebe hodie imitentur. Itaque

C 3

quam-

quamuis LVTHERVs, hic modum excessisse, videatur, temperatione corporis, ad iram propensa, iusto commotior, ac feruidior, tamen temperantiam ei non plane esse dengandam, probare audeo. Non argumento vtar, LVTHE-RVM in epistolis ad Papam, Albertum Cardinalem, et Archiepiscopum Magdeburgensem, aliasque proceres, fecem, pulverem, infantem et incultum se nominare, quod tales voces, in epistolis visitatae, praecipue consuetudinis, interdum simulationis ergo, adiiciuntur. Clariora, neque fucata, illius virtutis, de qua agimus, patent vestigia. Increpat enim in dehortatione, anno 1522. in vulgus edita, eos, qui excitati nouarum rerum studio, Lutheranos se vocent. Quamuis deinde ipse sciat, quanta sint de ecclesia sua merita, tamen viribus suis nihil, benevolae diuinae prouidentiae omnia, tribuit. Possem cumulare argumenta ad probandam LVTHERI moderationem, si omnes affrerem locos, in quibus, se aliis, ratione virtutum exercendarum, et doctrinae excolendae, inferiorem iudicat. Itaque non, vt deinde ostendam, ab omni vehementia illum liberum pronuntio, excusari tamen eum vario modo posse, idque iure meritoque, statuo.

§. 5.

Si quis in consideranda LVTHERI imagine maculas quasdam, hic atque illic dispersas, videt, is propterea illum minoris pretii haud aestimabit, si modo, nullum hominem omnibus numeris reperiri absolutum, hasque labes

labes tot virtutibus superari piaeclaris, cogitat. Quanto enim nos gaudio affici, quantum ad imitationem excitari, oportet, si, ne scriptores quidem, LUTHERO inimicos, eum luxuriosae vitae, et lasciuorum morum, accusare posse, animaduertimus. Ipse Aleander, Nuntius Pontificis, oratione in comitiis Wormatiensibus 1521 habita, vitam illius se inculpare nolle, fatetur ¹⁾, quorum verborum vis, iis, quae addidit, augetur, nempe a diabolo falli homines specie boni. LUTHERI igitur actiones tamen speciem bonarum piae se ferre, ipse confiteri debet, quem a simulatione alienissimum fuisse, omnia, quae egit, docent. Generosus LUTHERI animus in eo quoque cernitur, quod avaritia non laborauit, facultatibus ab eo relictis tam exiguis, ut, nisi eius vidua, Electoris Saxoniae, et Comitum Mansfeldensium, beneficentia fuisset sustentata, vix habuerit, vnde sibi liberisque, res ad vitam necessarias, compararet. A quo vitio etiam MAIMBVRGIVS LUTHERVM abhorruisse iudicat, in vituperando eo non semper fatis acutus ²⁾. Quae continentia in re acquirenda eo maiori mihi laude digna videtur, quo frequentiores, diuitias cumulandi, occasionses illi offerebantur. Idem sensus, ab omni

¹⁾ Cuius orationis summam reperimus in SECK, Comm. de Luth. I. c. I. sect. 37. §. 91. add. I.

²⁾ SECK. I. c. I. sect. 35: Cum Lutherus minime avarus, aut obnoxius esset; et morate viueret, vir bonus et magnus in vniuersum, imo sanctus habebatur, ita, ut capitii eius effigiat, radios circumpergerent, tanquam canonizato.

omni rapacitate alieni, eluent e consiliis de vſu bonorum ecclesiasticorum, quae ipsum consulentibus dare solebat ⁱ⁾). Nec silentio mihi praetereunda est cupiditas pacis, quam is, qui inuitus tantorum bellorum anſam praebuit, principibus faepissime commendabat, ita, vt ne foedera, vix iustum defensionem, permitteret. Quam digna erant **LVTHERO** iudicia, quae de ferendis hominibus, a nobis in religione dissentientibus, tulit. Legat quisque, rogo, qui hoc officium auditoribus inculcam, **LVTHERVM** ipsum audire cupit, orationem sacram, post redditum suum ex arce Wartenburgensi, ob tumultum a **CAROLOSTADIO** excitatum, habitam ⁱⁱ⁾ Noluit quoque falsos doctores occidi, sed dimitti potius. Quam sententiam non abiecit, cum consultus ab Electore Saxoniae, quo modo esset quidam, **ZWINGLII** sententiam de sacra coena defendens, et propagans, tractandus, silentium huic homini imponeendum, eumque melius instituendum, suaderet. Itaque, aduersus eos, qui in cultu diuino nobiscum non consentiant, vim adhibere, vetat, eosque, qui immaniter hic agant,

i) Vid. libellum **LVTHERI** ad edictum Augustanum, in quo haec inuenis verba: Saepe suasi, vt bona ecclesiastica, ad pastorum, et scholarum, et pauperum studiosorum, sustentationes, item ad impensis visitationis, aliasque erogationes parochiarum et temporum, tum ad virginum egentium, et ad orphanorum educationem, et, si quae supersunt, ad utilitatem publicam, et ad alimenta pauperum destinarentur.

ii) Reperies Tom. VII. Witt, f. 273. et sqq.

agant, reprehendit ^{v)}. Quibus dictis obtemperauit in ecclesia emendanda. Non enim, vt in Heluetia ZWING-LIVS, potestate Magistratus est vsus ad ritus veteres antiquandos, nouamque religionis formam inducendam, sed antiquam, nisi verbo diuino repugnantem, retinuit, impediens tantum prauum rerum sacrarum usum, vnde factum est, vt CAROLO STADII, imagines ex aede Wittenbergensi eiicientis, audaciam increparet.

§. 6.

Si duas de moribus eius, de quo, primas partes in sacris in melius commutandis agente, hucusque diximus, inter se dissentientes spectas factiones, altera, omnes eius labes in virtutes, fuso tintas, mutans, fere obliuisci videatur, eum hominem, ac propterea maculis esse obnoxium, altera odio in religionem, ab eo renouatam, flagrans, huiusque pretium ex illius persona pendere statuens, omnia imbecillitatis vestigia in vitia horrenda vertere studet. Sed veritatis amorem, illamque, viribus a natura tributis, et labore acquisitis, defendendi perpetuam et constantem voluntatem, ad quae bona probitas vitae, et animus ab

aua-

v) Vid. Annotatt. in Deut. Tom. III. Ien. lat. fol. 76. et sqq. et not. Luth. ad c. 18, 15. Hinc vides, quam sint furiosi pontifices et principes hodie, qui haereticos et impios vi ad fidem cogunt, et cogi nolentes occidunt et exurunt. Vsurpant certe iudicium, quod soli sibi Deus arrogat, et cogunt, ubi nemo cogipotest, et exigunt, quod nec ipsis, nec ullus homo praestare potest.

D

auaritia pecuniae, honorisque cupiditate, alienissimus,
 erga amicos fidelis, superioribusque parens, accedit,
 has, inquam, virtutes omnes, ne infesti quidem illi
 homines derogant. Nos, qui, effigiem LVTHERI, ab
 omnibus spectatam partibus, picturos, polliciti sumus, ut
 his promissis stemus, quae in eo non sint probanda, afferre
 volumus. Nihil maiori iure aduersarii in viro, quem nos,
 nisi pietate commoti, nominare non possumus, reprehendunt,
 quam animi feruorem, ultra iustos progredientem
 terminos, quem et amici eius sincerissimi saepe expro-
 brarunt. Cui deditus, ignominiosis affecit verbis eos,
 qui doctrinam suam opprimere cupiebant. Sic Papam
 tyrannum, haereticum, apostamatam, Antichristum, et su-
 perbum concilii contemptorem, vocare ausus est, quae no-
 mina legere possumus in prouocatione, die 17. Nov. 1520.
 Wittembergae in monasterio Augustinianorum facta, in
 qua repetit appellationem die 28. Nov. 1518. a Papa ad
 Concilium interpositam. Nec mitiorem se gescit aduersus
 Henricum VIII., Angliae Regem, Georgium, Ducem Saxo-
 niae, Albertum, Cardinalem Brandenburgicum, et Archi-
 episcopum Moguntinum et Magdeburgensem. Cui animi
 acerbitali et iracundiae indulgens, ille ad actiones se applica-
 uit, quae quamuis ad consilium suum essent accommoda-
 tae, tamen, iis patrandis, odium hominum, ipsi infestorum,
 auxit, in quibus combustionem Corporis Iur. Canon. et
 Bullae Leonis X. numerandam iudico. Minuit vero huius
 vitii, non ex animo, sed ingenio, orti, magnitudinem, ipsa
 Lx.



LUTHERI professio, se vehementiorem esse, quam oporteat, concedentis ^{x)}. Multum deinde tribuere debemus immanni hostium odio, et molitionibus, quibus patientiam suam esse defatigatam, questus est, in libello ad edictum Augustanum. Quae porro vehementia, quamuis omnino laudanda non sit, tamen consuetudine saeculi, quo vixit, quoque excusanda ponitur. Ab hominibus, adminiculis non assuefactis, quibus commotiones animi frenentur, sive societas humana polita et iucunda reddatur, omnes controuersiae acri animo asperoque agebantur, et, quod animo senserant, sine vlla simulatione ii exprimebant verbis immitibus. Qui doctrinam excolebant, plerumque illo tempore latina vtebantur lingua, in qua ius sibi vindicabant, aduersarios conuiciis lacerandi, et iocis rusticis risui exponendi, praesertim, cum contumeliae, lingua mortua iactatae, minime tantum horrorem, quantum viua, excitent. Tum, qui LUTHERVM ob ferociam in principes notat, eos, inter se eadem inhumanitate vsos, illi non pepercisse, secum reputet. Quod ad eius scurrilem petulantiam attinet, saepe LUTHERVS huius insimulatur. Quae accusatio, si colloquia speetas ad mensam, fundamento quodam niti videtur. Quamuis hic iocos, ali-

D 2

quan-


^{x)} Epp. ad Spalat. ep. 199. Video ab omnibus in me peti modestiam, maxime ab hostibus, qui minime tamen omnium eam praestant: ego si immodestior sum, simplex tamen et aperius sum, quo illis me puto praestare, cum non nisi insidiosissime commentur.

Vg 5741 Ok

quantum liberiores, ei excidisse inter familiares, concedamus, tamen non omnes, quos liber ille continet, germanos putare possumus. Neque eorum labor laudari potest, qui illas sententias, partim omnes, partim singulas, tanquam consilia sapientissima, LVTHERI tamen aetati, non nostrae, accommodatas, typis mandarunt. Vix necesse censeo, ut pertinaciae mentionem faciam, qua obfirmatum LVTHERVUM, non pauci putant. In eo enim persistere, quod rationibus firmissimis verum iudicemus, magis constantis, quam pertinacis, mihi videtur animi. Sed, si desunt argumenta, cur in quadam permaneamus sententia, ita, ut pro ratione voluntas stet, reprehensio locum habet. Fine nunc dissertationi meae imponendum statuo, qua quemque, cuius interest, certum de LVTHERO ferre iudicium, ad cauendum excitare volui, ne auctoritate virorum illustrium, qui vel in eo laudando, vel vituperando, excedunt terminos, deceptus, sententiam non probandam sumat. Evidem plurima, quae tradidi, satis nota scio, sed cum meum fuerit, mores LVTHERI, ex iis, quae ipse dixit et fecit, monstrare, e rerum gestarum monumentis, etiam fui peruvulgata repetere, atque in ordinem commodiorem redigere, coactus.

M.C.

X 2380202



G.R.191. 26

IMAGINEM INGENII MORVMQVE
LVTHERI IN EMENDATIONE
SACRORVM CONSPICVAM

EXPRIMIT

A D L O C V M

I N T E R

ASCRIPTOS ORDINI PHILOSOPHORVM

RITE TVENDVM

P R A E S E S

CHRISTIANVS FRIDERICVS
FRANCKIVS

A. M. L.

D E F E N D E N T E

CAROLO GVILIELMO FERBERO

ZVICKAVIENSI

I. V. S.

AD D. 20 MART. MDCCCLXXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS IO. TZCHIDRICH.

